Magnifico Domino Jacobo Bonner et Amico affinique et tanquam fratri charissimo. Dec. 1540.

84.)

Magnifice Domine, Amice affinisque et tanquam frater charissime. Salutem et felicissimos successus; tibi huiusque, sed non ob id, quod vestrae M. fuissem immemor, in causa enim fuit longa periculosaque et laboriosa mea peregrinatio, sicuti id rumore ipso Vestra M. percepit. fueram enim ad Imperatorem Turcarum, sine salvo conductu, amisso castello novo, et rebus pene nostris attritis, ubi nisi profuisset mihi vetus illa Imperatoris erga me benevolentia, actum fuisset de nostro Laski, utpote qui illum Principem ultra opinionem meam elatum et insolentem inveni. Nam Andreae Doriae et Kazianeri fuga, item expugnatio castelli novi plus nimis animum suum erexit et immutavit, et propterea gravissimo labore inducias suscepit, audivit tamen me semper multum benigne et longum de rebus disputavit, voluitque per humanitatem suam, ut solemnitati nuptiarum suarum non ut orator, sed tanquam privatus adessem. Adfui itaque et multos pulchros equitum vidi ludos, et alia quaedam visu oblectabilia, reddidique nonnihil illum Imperatorem molliorem, ita ut si Principes Christiani sequi meum consilium velint, putarem, me aliquid boni transacturum, id quod nunc Caesareae et Catholicae atque Serenissimi Domini mei Regis Majestatibus

exposui, à quibus decimus est hodie dies, postquam à Gan-
davo discessi, in quorum arbitrio erit, meum vel alio-
rum consilium sequi. Porrò Caesar et Rex isti nobilissimo
Monarchae dant operam (: etiam cum dispendio suo :) ut
omnino Germaniam pacarent, et propterea nondum
est contra Clevensem bellum susceptum, quod tamen
non sine Caesaris ignominia et jactura fit. Cum Christi-
anissimo Francorum Rege arctissima est conjunctio,
à quo proximo mense solennes Oratores videlicet Car-
dinalis Lotharingius et Comes Stabilis venient, et ibi
concludent omnia, quae erant suspensa, neque ad mutu-
um Caesaris cum Serenissimo nostro Rege colloquium. Inte-
rim autem Anglus timet et omnia agit, ut conjun-
ctissimos eorum animos disjungat, omniaque tentat,
tam apud Principes, quam etiam civitates Evan-
gelicos. Gandavi sumptum est supplicium à non-
nullis illius loci civibus, erantque adhuc aliqui, qui
easdem poenas luere debebunt, et hoc propterea,
quod antiquum Magistratum degradaverant, unumque
ex antiquis civitatis consulibus capite truncarant.
Alia non sunt. Vestra M. me diligenter Domino
Sebaldo Auctoque et Hesso commendabit, illisque eti-
am putes participabit. Scripsi ad D. Kybisch, ro-
gavique, daret mihi testimonium, quod non persolvit
mihi 840 flor. pro damno suscepto pro monetis
Slesiis, quoniam Rex scripserat illi, ut mihi
1200 flor: pro dictis damnis solveret, tamen
non solvit

non solvit nisi trecentos et aliquos, nunc autem Rex
vult me solvere modo D. Lybisch literis suis testetur,
se non persolvisse; quare rogo, moneatis commu-
nem amicum, et literae ejus ad Dominum Briccensem
fratrem vestrum mittantur. Vienna penultima
Martij Anno 1540.

Hieronymus de Lasko
manu sua.